

atque adedò cognosci quidem possunt per se sola, quatenus absolute spectantur; at non nisi mediantibus aliis, nempe significatis, quatenus respectivè, & tanquam signa accipiuntur: cùm Relatorum proprietas sit, *esse simul cognitione*. Sic ex. grat. vocabula *homo* & *arbor*, quando tanquam soni ore producti, aut picturæ literis adornatæ considerantur, per se intelligi possunt; sed quando tanquam signa conceptuum aut rerum, quæ istis nominibus denotantur, spectantur, sine istis sciri nequeunt. Cùmque cognitio absolute prior sit, quàm respectivi, conceptus aut res, & vox absolute spectata, cogniti esse debent, antequam hæc tanquam signum, & illi tanquam signata cognosci queunt. Priùs enim novimus *hominem* aut *arborem*, & hæc vocabula per se; & postea constituimus inter nos, hæc vocabula istos conceptus aut res significatura, aut jam significare ab aliis constitutum esse discimus. Quoniam verò multiplex apud Philosophos occurrit cognitio, intellectualis, sensualis, vel alia rudior, si qua est, non necesse est, illam de quâ heic fermo habetur, esse accuratam & intellectualem, quamvis esse possit; sed sufficit sensualis, aut alia minor, si qua reperitur. Neque enim ut sciam, quid voce *homo* aut *arbor* denotetur, illorum intima natura mihi esse perspecta debet; sed satis est vel semel vel aliquoties me illos vidisse, aut aliò sensu accepisse, vel aliò modò ad eorum aliqualem cognitionem pervenisse, quemadmodum id cuilibet notum. Ex quibus omnibus, ut & quòd vocabula nullam analogiam, nihilque conceptuum rerumve significatarum in se contineant, haud difficile colligere est, quantum menti in rerum cognitione adipiscendâ opis præstare queunt. Primò enim nulla vocabula, si seorsim sumantur, eorumque ignoretur significatio, unquam rerum, quas denotant, ideas in intellectu producere poterunt. Nam quamvis centies & amplius audias, vel legas voces has, *Deus* & *Omniscientia*, nequaquam eò in Dei vel Omniscientiæ cognitionem deduceres. Deinde etiam, quamquam conjunctim in oratione proponuntur, rerumque quas designant, aliquam sensualem rudioemve habemus cognitionem, nullò tamen modò intellectualem gignere valent: neque enim huic procreandæ sufficit illa, aut si qua infra eam posita est. Sic ex. grat. si in hanc enunciationem *Deus est omniscius*, incidat quis, qui rudi duntaxat cognitione, non verò accuratè noverit, quid *Deus* & *omniscientia* sint, non assequetur indè veram intellectualemque hujus integræ sententiæ, ita ut mente clarè distincteque percipiat, Deum esse omniscium. Denique quantumvis claras distinctasque rerum vocibus significatarum, ex. grat. *Dei* & *Omniscientiæ* menti repræsentatas habeamus ideas, nondum tamen hæc oratio, *Deus est omniscius*, si legatur vel audiatur, causa poterit esse per se, quòd, ut oportet, intelligas, Deum esse omniscium, sed tantum occasionalis, impulsiva, aut aliqua similis. Neque enim illæ voces verâ causalitate efficere queunt, ut certò evidentèque perspectum habeat

quis,